



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 137. Vtrum ad credendum fide diuina requiratur, vt credenda proponantur tali credibilitate, vt æquali proponi non possit vllum falsum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

quia mentiri est falsum dicere loquutione inordinata; repugnat autem Deo, qui est prima regula, locutio inordinata.

12. Hac opinio communiter rejicitur à theologis, & censetur, vel hæretica, vel erronea. Valent siquidem contra illam argumenta allata, & sequitur fidem nostram non posse esse certam. Eatenus enim certò credimus Deo, quatenus existimamus Deum non posse mentiri, nec falsum dicere; ergo si potest mentiri, vel falsum dicere, non possumus certò credere. Neque dicas, quod certò credimus Deo, quia revelavit se de facto nunquam esse mentitum, nec mentiturum, aut dicturum falsum. Nam si Deus potest de potentia absoluta mentiri, vel falsum dicere, possumus dubitare, vtrum mentitus fuerit, dum revelavit se nunquam fuisse mentitum, aut mentiturum.

13. Dices: authores contrariæ sententiæ existimabant Deum posse dicere falsum, & tamen cum essent catholici, credebant certò nostram religionem esse veram; ergo ad certitudinem fidei non requiritur, vt existimemus Deum non posse mentiri, nec falsum dicere.

14. Respondeo, distinguo consequens: ad certitudinem fidei non requiritur, vt practicè, & sub aliquo conceptu existimemus Deum non posse mentiri, nego: speculatiuè, & sub alio conceptu æquiuoco, transeat. Authores relati, dum credebant, practicè existimabant Deum esse dignum summa fide; sed Deum esse dignum summa fide includit Deum non posse mentiri; ergo practicè existimabant Deum non posse mentiri, licet speculatiuè dicerent Deum posse mentiri; hoc est ponere aliquod signum rei falsæ, quod non sufficit ad dicendum falsum, & ad mentiendum, ideoque patiebantur aliquam æquiuocationem in conceptu mendacii, & falsæ locutionis.

15. Ad 2. nego minorem. Fidelis debet quidem conari ad credendum fide diuina ea, quæ euidenter cognoscit esse prudenter credibilia, & credenda; sed quæ non sunt vera, & diuinitus reuelata non potest credere fide diuina; sed solum fide humana, & acquisita, quæ non resoluatur vltimò in diuinam reuelationem, sed in motiua humana; fide autem diuina potest credere solum ea, quæ sunt vera, & quæ à Deo docetur interius. Hinc sequitur actum fidei diuinæ, & infusæ semper differre ex obiecto formali ab actu fidei non diuinæ. Ratio est, quia actus fidei diuinæ resoluatur vltimò in diuinam reuelationem, tanquam in obiectum formale: actus verò, qui non sit fidei diuinæ, non resoluatur vltimò in diuinam reuelationem, tanquam in obiectum formale.

16. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia ad virtutem voluntatis requiritur, & sufficit, vt actus eius sit honestus; sed actus, quo volu-

mus dare, & de facto damus elemosynam, pauperi fido, quem prudenter existimamus esse pauperem verum, est actus honestus; ergo potest esse elicitus à charitate, quæ est virtus voluntatis. Proportionaliter ad actum fidei, quæ est virtus intellectus, requiritur, vt sit verus; sed actus, quo credimus articulum falsum, quem prudenter existimamus esse verum, est falsus; ergo non potest esse actus fidei infusæ, quæ est virtus intellectus. Hinc sequitur, quod in casu posito, licet actus, quo credimus articulum falsum, non sit actus fidei infusæ, tamen actus, quo volumus credere talem articulum, est actus piæ affectionis infusæ, quæ est virtus voluntatis.

17. Ad 4. distinguo maiorem: ante Incarnationem Iudæus poterat credere Messiam non venisse tempore, quo reuelatum fuerat non venisse, sed venturum post, concedo: alio tempore, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Iudæi ante Incarnationem poterant credere Christum non venisse tempore, quo reuelatum erat non venisse; si autem in eo, vel simili actu perseuerassent post Incarnationem, talis actus semper fuisset verus, quia semper fuisset verum Christum non venisse pro eo tempore.

### QVAESTIO CXXXVII.

*Vtrum ad credendum fide diuina requiratur, vt credenda proponantur tali credibilitate, vt aequali proponi non possit vllum falsum?*

1. **V**idetur non requiri: primo quia æquali credibilitate à Parochis Lutheranis e. g. pueris, & rusticis proponuntur falsa dogmata luteranismi, ac à Parochis catholicis proponantur pueris, & rusticis vera dogmata catholica; sed hæc credibilitas est sufficiens ad hoc, vt pueri, & rustici catholici credant fide diuina dogmata catholica; ergo ad credendum fide diuina non requiritur, vt credenda proponantur tanta credibilitate, vt æquali non possit proponi vllum falsum.

2. Secundo cum Parochus proponit rustico duo dogmata, alterum verum, puta incarnationem Verbi, alterum falsum, puta incarnationem Spiritus Sancti, æquali credibilitate est prudenter ab illo rustico credibile, & credendum dogma falsum, ac verum; sed dogma verum potest credi fide diuina; ergo &c.

3. Respondeo cum Suario disput. 3. sect. 13. num. 9. contra Cardinalem de Lugo disp. 4. sect. 6. num. 83. & sequentibus: ad credendum fide diuina, & super omnia, requiritur, vt credenda proponantur tanta credibilitate, vt æquali credibilitate non possit proponi vllum falsum.

4. Probatur primò: nam vt assentiamur ali-

alicui obiecto certitudine scientiæ, requiritur, ut illud proponatur nobis tanta credibilitate, ut æquali non possit proponi falsum, idcirco Mathematicus non potest certitudine scientiæ assentiri propositioni veræ, quæ proponatur credibilitate non maiori, quam per paralogismum proponi possit propositio falsa; ergo ut obiectum credamus certitudine fidei, requiritur, ut proponatur tanta credibilitate, ut æquali non possit proponi falsum.

5. Probatur secundò: nam credibilitas habens prædicatum, quod si innotesceret, deberet inducere prudentem dubitationem, non sufficit ad certitudinem fidei diuinæ; sed credibilitas tanta, ut æquali possit subesse falsum, habet prædicatum, quod si innotesceret, deberet inducere prudentem formidinem, & dubitationem; ergo non sufficit ad certitudinem fidei diuinæ. Probatur minor: nam qui cognoscit aliquam propositionem esse prudenter credibilem, & credendam, sed simul aduertit æquali credibilitate posse sibi proponi dogmata falsa, eo ipso debet prudenter dubitare, ne etiam de facto proponatur dogma falsum; eo pacto, quo Mathematicus existimans se aliquam propositionem demonstrasse, sed aduertens, quod potest æqualiter existimare se demonstrasse, cum paralogizat, debet prudenter dubitare, ne etiam de facto paralogizet.

6. Dices, quod eo ipso, quod aliquis aduertit credibilitatem esse tantam, ut æquali possit subesse falsum, minuitur credibilitas; ergo non est mirum, quod non sufficiat ad certitudinem fidei, licet cum hoc non aduertitur, credibilitas sit maior, ac proinde sufficiens ad certitudinem fidei.

7. Sed contra: nam ex hoc sequitur talem credibilitatem sufficere ad certitudinem fidei solum per accidens, & ex ignorantia, vel inaduertentia alicuius prædicati, quod illi de facto conuenit, nimirum ex ignorantia, vel inaduertentia, quod æquali credibilitati potest subesse falsum; hoc autem est absurdum: nam credibilitas sufficiens ad fidem non fundatur in ignorantia, vel inaduertentia prædicati, quod illi de facto conueniat.

8. Probatur tertio: nam ut religio nostra sit credenda fide diuina à tota Ecclesia, debet habere tantam credibilitatem, ut æquali non possit subesse falsum, adeoque si falsa religio posset habere æqualem credibilitatem, ac habeat de facto religio christiana, & catholica, religio christiana, & catholica non esset credenda fide diuina; ergo ad hoc, ut nostra religio sit alicui credenda fide diuina, debet illi proponi tanta credibilitate, ut æquali non possit subesse falsum. Probatur consequentia. Nam ideo fides totius Ecclesiæ fundari debet in credibilitate tanta, ut æquali non possit subesse falsum, quia fides totius Ecclesiæ debet esse certissima, & exclusiua omnis formidinis; sed etiã fides vniuscuiusque debet esse certissima, & exclusiua omnis formidinis; ergo &c.

9. Confirmatur: nam cum Deus immediatè reuelat aliquid alicui ab illo credendum fide diuina, debet reuelare credibilitatem tanta, ut æquali non possit subesse falsum, adeoque ut dæmon transfigurans se in Angelum lucis non possit causare credibilitatem æqualem; ergo etiam cum Deus per Parochos, & alios ministros Ecclesiæ reuelat aliquid alicui ut credendum fide diuina, reuelat tanta credibilitate, ut æquali non possit subesse falsum.

10. Dicendum secundò: credibilitas tanta, ut æquali possit subesse falsum, sufficit ad credendum fide, quæ sit inferior diuina, & includat aliquam formidinem saltem virtualem, per quam credens sit paratus recedere à tali actu credendi, si maiori credibilitate proponatur oppositum.

11. Probatur: nam cum Parocho proponente incarnationem Verbi, & Spiritus Sancti, rusticus credit incarnationem Spiritus Sancti, credit ita, ut sit paratus discredere incarnationem Spiritus Sancti, & Parochus ipse, vel alius fide dignus paulò post doceat Spiritum Sanctum non esse incarnatum; ergo etiam incarnationem Verbi credit ita, ut sit paratus illam discredere; sed cum credimus fide diuina, credimus ita, ut simus parati nunquam discredere, etiam si ipse proponens, vel quilibet homo, aut Angelus proponat oppositum, iuxta illud Apostoli ad Galat. 1. *Licet nos ipsi, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit; ergo &c.*

12. Debet aduertiri, quod ad credendum fide diuina, requiritur quidem, ut credenda proponantur tanta credibilitate, ut æquali non possit subesse falsum, sed non requiritur, ut hoc ipsum cognoscatur euidenter; immò ad obscuritatem fidei requiritur, ut non cognoscatur euidenter. Qui enim cognoscit euidenter credenda proponi tanta credibilitate, ut æquali non possit subesse falsum, cognoscit euidenter credenda non esse falsa, sed vera.

13. Ad 1. nego minoreni, ac dico, quod pueri, & rustici catholicorum, cum dogmata catholica proponuntur illis credibilitate non maiori, quam pueris, & rusticis hæreticorum proponantur dogmata hæretica, possunt quidem, ac debent illa credere fide aliqua inferiori, sed nondum possunt, nec debent credere fide diuina, per quam sint parati nunquam illa discredere, etiam si Angelus de cælo euangelizaret aliter, quam euangelizatum est.

14. Dices primò: pueris, & rusticis catholicorum penè nunquam dogmata catholica proponuntur tanta credibilitate, ut æquali non possit proponi falsum; ergo pueri, & rustici catholici penè nunquam perueniunt ad credendum fide diuina: quod est absurdum.

15. Respondeo, negando antecedens. Apud catholicos ex narrationibus parentum, & domesticorum, ex instructionibus parochorum, & magistrorum, ex concionibus, et sacris imaginibus, ex ceremonijs Ecclesiæ, et votiujs tabellis, & ex pluribus alijs diuulgatur.

est fama constantissima, quod nostra religio fuerit promissa, & prænunciata per innumera vaticinia, propagata, & confirmata per innumera miracula; quod sit sanctissima, in eaque fuerint semper viri sanctissimi; quod propagata fuerit continua successione à Christo vsq; ad nos; & quod omnibus alijs sectis conueniant prorsus opposita; sed hæc fama est supernaturalis, & æqualis fama non est, nec potest esse in vlla alia secta; immò in sectis hæreticorum est fama nouitatis, negationis miraculorum, cum hæretici irrideant miracula; quod earum auctores fuerint viri scelesti &c. ergo apud catholicos etiam simplices, & rustici facillè possunt ex hac fama obtinere tantam credibilitatem de veritate religionis catholice, vt æqualis non possit obtineri in vlla secta falsa; obtenta autem ea credibilitate, possunt credere fide diuina, accedente præsertim interna illuminatione Spiritus Sancti, Ratio, quare fama æqualis illi, quæ datur pro religione catholica, dari non possit pro vlla secta falsa, est, quia fama proportionatur fundamentis, ex quibus causatur; ergo sicut fundamenta pro fide catholica sunt tanta, vt æqualia dari non possint pro vlla secta falsa, sic fama pro religione catholica est tanta, vt æqualis dari non possit pro vlla secta falsa. De hac autem fama, in qua fundatur potentia credendi fide diuina, loquitur Apostolus ad Rom. 13. dicens: *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Quia hæc fama est supernaturalis, credibilitas fundatur in signis supernaturalibus. Si verò ad aliquam regionem non peruenerit fama supernaturalis sufficiens ad fundandam credibilitatem fidei diuinae, Deus vt in ea regione religio nostra redatur credibilis fide diuina, debet facere noua miracula, vel supplere per internas, & extraordinarias illuminationes.

16. Dices secundo: per allatam doctrinam explicatur quidem, quo pacto simplices, & rustici possint fide diuina credere nostram religionem esse veram, & sic implicitè credere, omnia eius dogmata, sed non explicatur, quo pacto possint fide diuina credere dogmata particularia; ergo &c.

17. Respondeo, negando antecedens. Posito, quod simplices, & rustici fide diuina credant nostram religionem esse veram, possunt fide diuina credere explicitè, & in particulari omnia dogmata, de quibus audiunt fama constanti, quod sint dogmata nostræ religionis; sed facillè possunt fama constanti audire dogmata, quæ continentur in signo crucis, in simbolo Apostolorum, nec non de existentia Christi in Eucharistia &c. esse dogmata nostræ religionis; ergo facile possunt illa credere etiam explicitè fide diuina. Quia tamen non satis percipiunt sensum plurium dogmatum, illa credunt in eo sensu, in quo creduntur ab Ecclesia. Dogmata, quæ proponuntur à parochis, vel à magistris ita, vt adhuc qui instruuntur, ex fama constanti non sciant illa credi ab

Ecclesia catholica, possunt, ac debent credere fide inferiori, & quasi conditionata, si creduntur ab Ecclesia, ita vt fiat parati discredere, si fama constanti inueniant, illa non credi ab Ecclesia. Addo, quod cum nostra religio, eiusque dogmata proponuntur per talem famam, vt æquali non possit subesse falsum, Deus de lege ordinaria dat internam illuminationem, necessariam ad credendum fide diuina; cum non proponuntur tali fama, vt æquali non possit subesse falsum, Deus de lege ordinaria non dat talem internam illuminationem: potest tamen illam dare extraordinariè, & tunc licet credibilitas externa sit tanta, vt æquali possit subesse falsum, credibilitas interna per extraordinariam illuminationem Spiritus Sancti est tanta, vt æquali non possit subesse falsum, ideoq; est sufficiens ad credendum fide diuina.

18. Ad 2. nego minorem. Ex dictis, vt rusticus fide diuina credat incarnationem Verbi, debet illi ex fama, cui non possit subesse falsum, innotescere incarnationem Verbi credi ab Ecclesia; sed in casu posito Incarnatio Verbi non proponitur vt credita ab Ecclesia ex fama, cui non possit subesse falsum, sed proponitur ex solo testimonio parochi, cui de facto subest falsum, cum parochus simul testetur ab Ecclesia credi etiam incarnationem Spiritus Sancti; ergo rusticus in eo casu incarnationem Verbi non credit fide diuina, sed fide inferiori. Confirmatur; nam si rusticus aduerteret in eo casu æquali credibilitate sibi proponi verum, ac falsum, procul dubio neque verum, neque falsum posset credere fide diuina; ergo etiam si hoc non aduertat, neque articulum verum, neque falsum potest credere fide diuina, sed solum fide inferiori. Si tamen articulus verus de Incarnatione Verbi ex. gr. rustico iam innotuerit ex fama, & à parocho proponatur cum articulo falso de Incarnatione Spiritus Sancti, articulus verus est credibilior falso, & poterit credi fide diuina.

19. Quæritur, vtrum per fidem possimus discernere articulos veros à falsis?

20. Respondeo quæstionem habere posse plures sensus. Primus sensus est, vtrum cum credimus, discernamus articulum, quem credimus, non esse falsum. Dicendum, quod sicut certo, sed ineuidenter credimus, sic certo sed ineuidenter discernimus articulum creditum esse verum, & non esse falsum.

21. Secundus sensus est, vtrum cum credimus fide diuina, discernamus nos credere fide diuina? Dicendum quod certo, sed obscure discernimus nos credere fide diuina, ex obiecto, hoc est nos credere obiectum à Deo reuelatum, & credendum fide diuina; at non discernimus certo, sed solum probabiliter nos credere fide diuina ex parte actus, hoc est nos exercere actum supernaturalem fidei theologicæ. Ratio est, quia sicut cum diligimus Deum super omnia dilectione sufficienti ad iustificandum, non sumus certi certitudine fidei, quod diligimus Deum fide theologica

gia sufficienti ad iustificationem: alioqui essemus certi de nostra iustificatione: sic cum credimus, non sumus certi certitudine fidei, quod credimus fide theologica ex parte actus, sed de hoc habemus solam probabilitatem.

22. Tertius sensus est, vtrum qui credit duos articulos, alterum verum, puta incarnationem Verbi, alterum falsum, puta incarnationem Spiritus Sancti, discernat articulum verum à falso?

23. Respondeo primò, quod si vtrumque credit, procul dubio non discernit alterum esse verum, alterum falsum, alioquin crederet articulum falsum, & simul discerneret illum esse falsum, quod implicat. Adde, quod si articulum verum, puta incarnationem Verbi, credit fide diuina, discernit se maiori credibilitate credere incarnationem Verbi, quam incarnationem Spiritus Sancti, & in hoc sensu discernit credibilitatem articuli veri à credibilitate articuli falsi. Si verò etiam articulum verum credat fide non diuina, cum credat vtrumque æquali credibilitate, non discernit credibilitatem articuli veri à credibilitate articuli falsi. In eodem sensu qui credit articulum verum fide diuina, potest discernere, quod maiori credibilitate credit, quam cum credit articulos falsos: ex. gr. hæreticus conuersus ad fidem potest discernere se maiori credibilitate, & firmitate credere religionem catholicam, quam ante crediderit dogmata hæretica.

24. Quæri potest secundò, in quo sensu dicatur fides esse necessaria ad merendum, ita vt sine actu fidei non possimus habere vllum actum meritorium præmij supernaturalis?

25. Respondeo, quod hæc intelligenda, sunt de fide latissimè sumpta, in quantum nomine fidei significatur omnis cogitatio supernaturalis procedens ex illuminatione Spiritus Sancti. Nam sine aliqua supernaturali cogitatione non possumus exercere vllum actum meritorium de congruo, vel de condigno vllius præmij supernaturalis. Cæterum antequam credamus fide diuina, & super omnia, possumus exercere actum, quo volumus credere, qui actus est supernaturalis, & meritorius de congruo præmij supernaturalis; possumus etiam antequam credamus fide diuina, ex illuminatione Spiritus Sancti velle audire prædicatorem fidei, & illi credere fide humana, qua disponamur ad credendum fide diuina, & possumus etiam elicere alios actus pios disponentes ad fidem diuinam.

26. Adde in adultis non baptizatis ad iustificationem etiam obtinendam per sacramentum baptismi, necessarium esse, vt prius credant fide diuina: siquidem sine actu fidei diuina non possunt elicere actus contritionis perfectæ, nec imperfectæ sufficientis ad iustificandum in sacramento.

## QVÆSTIO CXXXVII.

*Vtrum assensus fidei sit certior quolibet assensu naturali?*

1. **P**rimò videtur vera sententia, quæ tribuitur Heruæo, & in quam inclinat Cardinalis de Lugo disp. 6. sect. 3. num. 28. obiciens assensum fidei certitudine infallibilitatis, & indefectibilitatis à verò non esse certiorum assensibus naturalibus, quibus iudicamus totum esse maius sua parte: non posse esse iocum esse, & non esse &c. Certitudo enim infallibilitatis consistit in hoc, vt actus sit necessarius verus, & implicet contradictionem, quod sit falsus; sed æquè est necessarius verus, & æquè implicat contradictionem, vt sit falsus actus naturalis, quo iudico omne totum esse maius sua parte, ac actus fidei, quo credo Deum esse trinum, & vnum; ergo &c. Probatur minor: nam quæ sunt metaphysicè necessaria, ita vt per nullam potentiam possint aliter se habere, sunt æqualiter necessaria, & quæ sunt metaphysicè impossibilia sunt æqualiter impossibilia. Ratio est, quia necessitas, & impossibilitas metaphysica est summa, ac prout non suscipit magis, & minus.

2. Secundo videtur actus fidei certitudine adhesionis, & indubitabilitatis esse minus certus, quam actus naturales euentes, puta quibus iudicamus, omne totum esse maius parte &c. Nam firmiter adhaeremus obiectis, quibus non possumus non adherere, & de quibus non possumus dubitare, quam obiectis, quibus possumus non adherere, & de quibus possumus dubitare; sed obiectis euentibus adhaeremus ita, vt non possumus illis non adherere, & vt de illis dubitare nequeamus: obiectis creditis adhaeremus ita, vt possumus illis non adherere, & vt de illis possumus dubitare; ergo &c.

3. Respondeo actum fidei diuinæ certitudine infallibilitatis, & indefectibilitatis à verò esse certiorum quolibet assensu naturali. Probat: nam certitudo infallibilitatis est perfectio actus, per quam illi repugnat falsitas: ergo actus quo plus habet de tali perfectione, eo est certior certitudine infallibilitatis: & quia cognitio diuina habet infinitam perfectionem veritatis exclusiuam falsitatis, ideo cognitio diuina est infinitè certa certitudine infallibilitatis, & est infinitè certior qualibet cognitione creata; sed actus fidei plus habet de perfectione exclusiuam falsitatis, quam vllus actus naturalis; ergo &c. Probat: assumptum: nam actus creatus, quo magis participat infallibilem veritatem Dei, eo plus habet de perfectione exclusiuam falsitatis; sed actus fidei diuinæ participat infallibilem veritatem Dei participatione supernaturali, & nititur immediate diuinæ veritate, vt docente, adeoque perfectius participat diuinam veritatem, quam quilibet actus